1853

DE ISCHURIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XIX. M. JANUAR. A. MDCCCLIII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS CAROLUS GUSTAVUS STACHE
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

OTTO BOYE, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
CAROLUS OESTREICH, MED ET CHIRUR. DR. MED. PRACT.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO

THEODORO MICHAELIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD PARTHENOPOLITANOS PRACTICO

NEC NON

VIRO

SPECTATISSIMO INTEGERRIMO

GUILELMO RICHTER

FAUTORIBUS MAXIME COLENDIS DE SE SUISQUE BENE MERITIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUTOR.

INTRODUCTIO.

Excretionis urinae duo potissimum genera sunt, quorum alterum invitam excretionem, seu incontinentiam, alterum vero evacuationem impeditam aut saltem difficilem, seu retentionem sensu latiore complectitur. Quemadmodum incontinentiam urinae Enuresin Graeci appellarunt, ita retentionem pro varia gradus atque indolis ratione modo Dysuriam modo Stranguriam modo Ischuriam nuncupare consueverant. Quaenam inter tres illas retentionis species differentia intercedat, paucis exponam. Dysuria, quam ardorem etiam urinae vocabant, in genere est excretio lotii difficilis et laboriosa, cum dolore intensiore et ardore, Strangurio seu stillicidium urinae, secessus lotii per singulas guttas, cum continuo et molestissimo vesicae urinariae tenesmo, quo aegroti ad mingendum frustra compelluntur; Ischuria denique suppressionem urinae, seu retentionem sensu strictiore significat, a diversis renum aut vesicae aut aliorum organorum morbis pendentem, doloribus modo acerbissimis, modo exiguis conjunctam. Dysuriae et stranguriae singulares causas subesse veteriores putabant, illi nimirum „solutionem continui in orificio vesicae aut meatu urinario, variis causis inductam", huic „acescentiam seri et vellicativa inde emanantia effluvia, partes nervosas vesicae aut urethrae irritantia, partim etiam convellentia". Quibus notionibus breviter enucleatis, ad materiem, quam adumbrandam mihi desumsi. Ischuriam dico, proprius accedam.

Sicut dysuria et stranguria, ita etiam ischuria variis causis originem debet, quae medicos impulerunt, ut complures ejus species, nominibus propriis notatas, constituerint. Prae omnibus causae sedes consideranda venit, quippe quae vel in renibus, vel ureteribus, vel vesica urinaria, vel in urethra esse possit, quamobrem ischuria renalis, ureterica, vesicalis, urethralis distinguuntur.

Quodsi in ischuriam renalem inquirimus, saepe eam conditionem morbosam hoc nomine designari, videmus, qua nihil lotii in renibus secernitur, nihil igitur ad vesicam urinariam descendere et per urethram foras emitti potest. Quam conditionem sensn strictiore huc numerari non posse, facile intelligimus, quoniam ischuria semper suppressam lotii collecti evacuationem, minime impeditam secretionem denotat. Male sibi consulunt, qui hunc statum ischuriae spuriae sive nothae nomine impertiunt, multò magis enim audiendi sunt ii, qui „anuriae" vocem proponunt. Nihilosecius vera ischuria renalis occurrit, id est ea, cujus causae eatenus in renibus positae sunt, quatenus impedimenta iis insidentia urinam ibi secretam haud promoveri patiuntur. — Pervestigatis causis, lotii secreti descensum ad vesicam prohibentibus, ischuriae renali et uretericae communes esse solent, inter quas principem locum tenent inflammationes partium dictarum, nec non impedimenta organica, ut tumores, aut mechanica, ut calculi, pus, sanguinis coagula, mucus inspissatus, quae quidem obstacula multo saepius in alterutro rene, quam in

utroque deprehenduntur, quare urinae retentio haud perfecta esse solet. Qui ischuriam renalem spasticam defendunt, a vero aliquantum abhorrere videntur, fortasse autem vox „spastica“ in ischuriam uretericam quadrat.

Utraque ischuriae species, renalis et ureterica, nonnisi cum probabilitate quadam dignosci potest, quoniam anuriae suspicio semper prostat. Urinae evacuatio deficit et vesica urinaria inanis reperitur, aegrotus autem, praecipue si corporis motum subit, dolorem prementem aut pungentem conqueritur, qui vel solam regionem renalem tenet, vel ureterum decursum comitatur, interdum usque ad posteriorem vesicae partem pertingit. Haud raro sympathicae affectiones superveniunt, ut nervorum gastricorum alteratio cum vomitionibus. Non supervacuum est, praeterita explorare, interdum enim aegrotus, priori tempore similibus molestiis tentatus, arenulas, lapillos,, coagula sanguinis, muci granulos etc. mingendo edidit, e quibus de mali praesentis diagnosi aliquantum concludere licet.

Nunquam non urinae in renibus aut ureteribus retentio partium dictarum mutationes efficit: quam supra locum impervium accumuletur lotium, renes et ureteres extenduntur, eorumque volumeu tandem duplo, triplo et quod excurrit, amplificatur. Extensionem sequitur irritatio, imo inflammatio, quae si persistente causa sustentatur, in suppurationem, aut saepius, ut nonnulli tradunt, in gangraenam vertitur. Quodsi mechanica impedimenta submoveri nequeunt, quin adeo amplificantur, partes ea continentes rumpuntur lotiumque vel in telam cellulosam finitimam effunditur, unde abscessus urinosi sic dicti aut fistulae urinales originem ducunt, aut in ipsam abdominis cavitatem, quo facto mors inevitabilis brevi irruit. Ubi haec ischuria longius per tempus protrahitur, interdum accidit, ut urina retenta specifice mutetur, imo resorbeatur et

morbus ille exoriatur, quem Autenrieth et Schönlein urodialysin appellaverunt, quanquam iidem auctores non semper ischuriam renalem, sed alias saepe causas, lotii secretionem inhibentes, subesse docent. Quidquid demum sit, resorpto lotio, quod renes secreverunt, sanguis urina impraegnatur eademque principia per alia corporis organa excernuntur. Itaque sudores urinosi, vomitiones materiarum urinam redolentium, demum febris putrida, quam „typhum urinosum" nonnulli vocant, exoriuntur. Majus periculum aegrotantium vitae imminet, si ischuria exstat completa, ren igitur utriusque lateris affectus est.

Praedictio raro fausta apparet, faustior tamen, si status inflammatorius aut spasticus causam retentionis sistit, quam si mechanica vel organica impedimenta locum habent, quippe quae raro penitus auferri queant. Medici igitur est in curanda hac ischuriae specie primum causas exquirere et impugnare, deinde symptomatum concomitantium naturam intueri et ad hanc alteram medendi indicationem accommodare. Vigente inflammatorio statu, methodo antiphlogistica vel per totum ambitum, vel cum moderatione opus est. Proinde aut vena incidatur, aut hirudines medicinales ad loca dolentia applicentur, aut utrumque detractionis sanguinis genus instituatur, praeterea balnea et cataplasmata aut fomenta tepida, clysmata emollientia, interne vero relaxantia et demulcentia remedia, nominatim emulsiones oleosae, administrentur. Ubi inflammatio minime est manifesta, sed irritatio magis spasmo similis, qualis haud raro perfrigeria sequitur et interdum colicam saturninam comitatur, praeter tepida balnea et clysmata aperientia in usum vocare licebit diaphoretica, ut infusum florum chamomillae, pulverem Doweri, purgantia blanda, imprimis oleosa. Si causam organicam suspicamur, cujus vero indolem accuratius pervestigare nequimus, curatio palliativa, symptomatibus inimicissimis consen-

tanea, adhibeatur oportet; sin mechanica impedimenta subesse persuasum habemus, manu vel instrumentis non auferenda et si neque febrilis affectio neque inflammationis topicae vestigium exstat, motus corporis per emesin equitationem, cursum possunt imperari, quibus interdum contingit, ut corpus alienum, e. gr. lapillus, ad vesicam urinariam descendat.

Longe frequentior ea ischuriae species est, qua lotium in vesica retinetur, ischuria vesicalis seu cystica, cujus symptomata et primaria et secundaria pluribus modis supra relatis differunt. Cum continua mingendi cupiditate, cui aeger satisfacere nequit, gravitas atque tensio regionis vesicalis et perinaealis consociatur et supra symphisin ossium pubis paulatim tumor emergit elasticus, subinde ad umbilicalem usque regionem assurgens imo hanc excedens, qui vesicae lotio expansae originem debet. Idem tumor in finitimas partes, intestinum rectum, vaginam perinaeum pressionem exserit et ab his inde partibus sentiri potest, praecipue si altera manu vicissim regio pubis comprimitur; quin adeo macilentos apud homines nonnunquam fluctuatio manifesta, adhibita illa encheiresi, animadvertitur. Quodsi ischuria vesicalis longius per tempus citra vesicae amplificationem persistit, de singulari tunicarum vesicalium degeneratione, rigiditate aut callositate concludamus oportet. — Varias haec ischuria sequelas infert, quae, si urinae excretio brevi non restituitur, plerumque periculosae evadunt. Totus enim venter, si nihil lotii redditur, intumescit atque dolore incipit, quo facto sudores frigidi, spirandi difficultas, nausea, vomitiones, lipothymiae accedunt. Maiorem et diuturniorem vesicae expansionem inflammatio; nisi ischuriam antecessit, sequitur, quae per viscera abdominis diffunditur inductaque gangraena aegrotum interficit. Accidit interdum, ut sphacelus modo locum aliquem vesicae destruat; quod

si fit, urina per locum destructum in telam cellulosam vicinam effunditur et pro varietatè loci, in quem irruit, aut abscesus aut fistulas urinales, aut inflammationes excitat, quae gangraena celerique morte terminantur. Vesicae amplificatione ad summum gradum evecta, quandoque ureteres etiam ùsque ad hilum renalem expanduntur eaque ratione exitus lethalis per vesicae rupturam, inflammationem, gangraenescentiam aliquantum differtur. Exempla memoriae prodita sunt, quibus urachus permeabilitatem suam recuperasse et urina per umbilicum effluxisse dicitur. Haud minus, quam in ischuria renali et ureterica, lotii resorptio in vesicali fieri potest, inprimis si retentio admodum diuturna est. Hisce in casibus eandem urodialysin, quam supra memoravimus, cum suis symptomatibus atque sequelis singularibus exoriri, nemo est quin intelligat. Quodsi haec ischuriae species modo eum tenet gradum, ut vesica per longius quidem tempus lotio obruatur: hujus tamen pars per intervalla edatur, non solum concomitantia symptomata blandiora, sed etiam vitae periculum minus praeceps est. Hujusmodi in casibus saepissime accidit, ut urina majorem acrimoniam adepta partimque decomposita membranam vesicae mucosam irritet chronicamque ejus inflammationem efficiat, quam haec illave degeneratio, e. gr. rarefactio, callositas, ulceratio subsequitur, tandem vero universae valetudinis perturbatio éxcipit, quae facie pallida, habitu laxo, digestionis alienatio, dysphoria continua, febricitationibus intercurrentibus, sudoribus symptomaticis, non reficientibus, sed exhaurientibus, alvo irregulari, modo fusa modo adstricta, sese manifestat.

Unaquaeque ischuriae specierum, de quibus retulimus, renalis nempe et ureterica, cystica et urethralis (de qua infra latius exponemus) secundum processus morbosi d y n a m i c i, qui subest, indolem dividi

potest in *inflammatoriam*, *spasticam*, *paralyticam*, secundum causas vero organorum aegrotantium mechanismum offendentes in *organicam* atque *mechanicam*.

Primum ischuriae dynamicae species describamus, ordientes ab inflammatoria, quae semper lotii retentionem in vesica secum fert, sive inflammatio in hac ipsa, sive in urethra, sive in glandula prostatica sedem habeat. Nephritis minus huc pertinet, quippe quae urinae secretionem suspendere, itaque anuriam potius quam ischuriam inferre soleat. — Signa ischuriae inflammatoriae, quatenus haec ab ipsa vesica pendet, non alia ac cystitidis sunt: dolor, qui inflammationis sede variat et vel regionis pubis vel perinaei pressione, vel digito per intestinum rectum aut vaginam immisso augetur. Alvus tarda est, adstricta, apud viros excretio admodum dolorifica; frequens, interdum continuus vesicae tenesmus, urina aut nulla aut guttatim et gravi cum dolore secedens. Si nihil ejus redditur vesica amplificatur et globi tensi atque dolentis instar supra et pone symphisin ossium pubis invenitur; ipsa urina, si qua editur, atro-rubicunda apparet, cruorem saepe continet. Quo majorem vesicae partem inflammatio tenet, eo intensiora et extensiora symptomata relata esse consueverunt, quibus consensuales affectiones superveniunt, ut vomitiones, interdum biliosae, pertinax alvi obstipatio, originem debens pressioni, quam vesica amplificata in rectum intestinum exserit. Febris exstat synochica, cum pulsu admodum frequente, duro, tenso, cuti sicca, ardente, lingua albida, siti ingente. — Causae hujus ischuriae, i. e. cystitidis acutae, satis numerosae sunt: laesiones mechanicae graviores regionis vesicalis, incarceratio vesicae per herniam vesicalem; suppressum sanguinis profluvium ex ipsa vesica, intestino recto, vagina; calculi vesicales, im-

primis, ut Schoenlein putat, moriformes sic dicti, metastases arthriticae, rheumaticae; propagatio inflammationis a partibus finitimis ad vesicam. — Ischuria inflammatoria cystica nunquam non periculum minatur, etenim multi aegrotantium mortem accumbunt, qui vero eam effugiunt, non semper in perfectam valetudinem restituuntur, sed morbis consecutivis tentantur, quorum nonnulli haud minus funesti sunt, quam praegressa inflammatio. Ad prognosin rite metiendam, cystitidis gradum et ambitum, praeterea causas urinae retentionem aut completam aut incompletam intueamur necesse est. —

Medendi rationem cystitidi adaptandam esse, facile elucet. Proinde ante omnia instituantur venaesectiones, quarum ubertas et repetitio ex aegrotorum constitutione, inflammationis ambitu febrisque gradu dijudicandae sunt. Topica antiphlogosis nunquam negligatur: applicentur ergo hirudines modo ad regionem pubis, modo ad perinaeum et intestinum rectum. Infricetur unguentum hydrargyri cinereum (vitatis hirudinum morsibus), balnea calida; nec non fotus tepidi, aut cataplasmata in usum vocentur. Interne antiphlogistica quidem dentur, minime vero salina, sed demulcentia, mucilaginosa, emulsiones verae aut oleosae et si dicta medicamina alvum non solvunt, ad clysmata aperientia confugiatur, quae Schoenlein ex oleo hyoscyami cocto parari jubet. Urinae evacuationi plurimum attentionis impendendum est: si ischuria intra horas 12—16 non cedit, aeger in balneum calidum immittatur et in hoc catheteris applicatio cauta manu tentetur. Quae omnia si irrita sunt, nihil superest, quam ut punctio vesicae administretur et curatio supra continuetur; donec vel inflammatio in resolutionem abierit, vel morbus consecutivus, aliam exigens medelam, intraverit.

Ubi non vesicae, sed urethrae aut prostatae inflammatio ischuriam efficit, symptomata in universum quidem essentialiter non differunt, attamen initio magis topica sunt, valetudinem totius organismi parum turbantia, attamen urinae retentio, si accessit, easdem, quas supra retulimus, perturbationes infert. Curandi methodus pari modo antiphlogosin requirit, singulari nimirum loci inflammati ratione habita.

Ischuria spastica aut vesicalis aut urethralis est; longe saepissime spasmus collo vesicae, quandoque tamen urethrae insidet. Musculos perinaei paene semper, sphincteres ani haud raro iisdem spasmis tentari, inter omnes constat. Ad dignoscendam hanc ischuriae speciem, partim sympomatum concomitantium indolem, partim causas praegressas intueri oportet. Initio enim non modo febris, sed etiam topica inflammationis signa, ut tumor, calor auctus, dolor tactu vel pressione increscens, deficiunt. Exstat quidem dolor inimicus, non continens autem, sed periodicus, intermittens, tactum pressionemque bene ferens, constringens, parturientium moliminibus similis, qui haud paulatim ad acmen evehitur, sed subito irruit eodemque modo desinit, nunc longiora nunc breviora intervalla exhibens. Pulsus parvus contractus, non durus, nonnisi per exceptionem frequentia majore excellit, cutis adauctam temperiem non offert, imo frons saepe friget sudore obtecta. Quod ad consensualia symptomata pertinet, nausea, vomituritiones, vomitus ipse haud raro oriuntur, sitis tantum repetitis accessionibus intenditur. Quemadmodum urina, ita alvus etiam retinetur; lotium per libera intervalla secedens, pallidum et aquosum; inflammatorio contrarium, apparet. Sciri tamen oportet, ischuriam spasticam, si diutius protrahatur, in inflammatoriam posse mutari tumque hujus signa supra descripta in conspectum prodire. Maximam partem ischuria spastica homines

adgreditur hysteriae, hypochondriae. morbo haemorrhoidario obnoxios, ad colicas spasticasque affectiones opportunos, vesicae urinariae catarrho laborantes, in universum crebrius viros quam mulieres. Causa occasionalis plerumque cernitur in perfrigerio, praecipue pedum, in abusu potuum diureticorum acrium, aut male-fermentatorum, animi pathematibus, imo, si infantes afficiuntur, in vermibus intestinalibus. Neque minus apud viros haemorrhoidum, apud mulieres catameniorum anomaliae causis occasionalibus adnumerandae sunt. Recentiori tempore compertum habemus, choleram epidemicam exquisitam semper fere cum ischuria conjungi, quae spastica existimanda est, quum altera parte inflammationis criteria omnia deficiunt, altera autem tota vesica urinaria ad minimum volumen contracta inveniatur, quae quidem contractio non raro ad eum gradum evehitnr, ut vesica nihil lotii a renibus secreti excipere possit, sed post mortem omnino vacua deprehendatur.

Ischuria spastica multo laetius praebet augurium, quam inflammatoria; primum enim decursus ejus minus rapidus medicamenta adhibita efficacitatem promtius exserere patitur; deinde libera intervalla, quae intercurrere solent, aegrotis quietem et solatium largiuntur; denique posthumi morbi periculosi, qui inflammatoriam ischuriam saepe excipiunt, metuendi non sunt, dummodo transitus in speciem inflammatoriam caveatur. Quum tamen iste transitus ne summa quidem providentia et promtissima curatione semper caveri possit, quum praeterea causae disponentes, organismo insitae, nonnunquam tales sint, ut nullis artis auxiliis cedant, facili negotio intelligere licet, praedictionem multis in casibus ambiguam, in nonnullis adeo malam esse.

Medicus curationem hujus ischuriae adgressurus causarum et disponentium et occasionalium, quarum

supra mentionem fecimus, rationem habeat necesse est, ita tamen, ut occasionales statim, disponentes autem depulsu insultu impugnentur. Quodsi igitur perfrigerium antecessit, turbata cutis actio instauretur, eoque modo irritamenta morbosa ab organis uriniferis, vesica et urethra, deriventur. Consentanea remedia generatim diaphoretica sunt, tam interna quam externa, quorum haec non raro multo plus auxilii praestant, quam illa.

Aliis in casibus infusum florum sambuci, chamomillae cum liquore ammoniaci acetici sufficiunt camphora opus est; his adjunguntur balnea tepida universalia aut pediluvia, nonnunquam sudationes Rossicae salutares sunt. Potuum male fermentatorum abusus, qui acidum in primis viis genuit, absorbentia expostulat, magnesiam ustam aut carbonicum, cum exiguis pulveris aromatici dosibus. Ad coercenda irritamenta verminosa notis anthelminticis; ut semine cinae, radice valerianae, asa foetida etc., pro varia aegrotantium aetate, utendum est. Haemorrhoidum anomaliae sulfure cum cremore tartari et radicis rhei pauxillo, mensium autem emmenagogis probe delectis corrigantur; utroque in casu externa remedia, ut pediluvia irritantia, insessus tepidi, hirudinum applicatio ad intestinum rectum aut perinaeum, tutiora neque raro salubriora sunt medicamentis internis. Aliae causae, quas adnotavimus, e. gr. catarrhus vesicae, diuturniorem curationem requirunt, quae etiam sublata ischuria continuari debet. Multis in casibus urinae excretio, causis occasionalibus depulsis, restituitur, sin minus, antispasmodica fortiora administranda sunt, narcotica scilicet, inprimis hyoscyamus, opium, nicotiana, non solum per os, sed quoque per anum, e. gr. clysmata ex infuso foliorum nicotianae, quae tamen magnam reposcunt providentiam, praesertim apud infantes; ceterum enemata ex infuso florum

chamomillae et asa foetida, infrictiones unguentorum et linimentorum volatilium cum opio circa regionem vesicalem et perinaeum, laudari merentur. Anglici medici usum internum tincturae ferri chlorati commendant et quinis horae minutis guttas ejus 5—10 exhiberi jubent. — Catheteris inductio ad evacuandam urinam plerumque spasmo prohibetur, quamobrem topica remedia, ejus applicationem sublevantia, antea experienda sunt, ut perfrictiones perinaei oleis tepidis, insessus calidi aliaque supra memorata; interdum corporis situm mutari, vel pressionem in vesicae regionem exseri convenit, quoniam fieri potest, ut hujus organi collum nimis antrorsum, vel ad alterutrum latus spectet. Quovis autem pacto, imo operatione, si opus est, impediamus oportet, quominus lotii collectio in vesica tam diuturna evadat, ut per se periculum aegroto minetur.

Progrediamur ad ischuriam paralyticam, quae vel completa vel incompleta eorum musculorum, quibus urina ex vesica propellitur, effici solet. Singulatim eae fibrae musculares aut relaxatae aut plane resolutae sunt, quae stratum vesicae exterius constituunt et nomine detrusoris urinae impertiuntur. Quemadmodum sphincter vesicae orificium ejus claudit urinamque retinet, ita detrusor eam expellit, vesicam a vertice inde fundum collumque versus comprimens. Diagnosis hujus ischuriae a speciebus supra descriptis nihil difficultatis habet; potissimum autem criterium in eo cernitur, quod catheder sine impedimento in vesicae cavum potest immitti, vesica autem se contrahendi facultate destituitur. Praeterea omnia deficiunt symptomata ischuriam inflammatoriam et spasticam comitantia: dolor, tenesmus vesicae, calor auctus, reliqua symptomata febrilia. Vix unquam ischuria paralytica subito irruit, sed pedetentim oritur et incrementa capit; urina initio non amplius solito vigore editur, non

radium arcuatum describit, sed magna tantum adhibita contentione et musculorum abdominalium actione, leniter defluit, imo tandem nulla excretio voluntaria locum habet, etiamsi nonnunquam guttae aliquot invito aegrotante secedunt. Inhibita igitur lotii excretione, vesica amplificatur et supra symphisin ossium pubis tumorem efficit, initio doloris plane expertem, interdum tanto ambitu insignem, ut hydropem asciten, apud mulieres graviditatem imitetur. Vesica si gravius comprimitur, nonnullae lotii guttae per urethram effunduntur; imo diaphragmatis et musculorum abdominalium contractio breve stillicidium inducere potest. Hanc ob rem fieri consuevit, ut vesica, etiamsi lotii retentio per longius protrahatur tempus, raro submittatur rupturae; neque crebro accidit, ut ejus inflammatio exoriatur, quae si accessit, non modo dolores regionis vesicalis, sed paulatim totius abdominis cum vomitu, singultu, febricitationibus existunt, periodicum urinae stillicidium, si quod adfuit plane supprimitur et vesicae gangraenescentia aegroti vitam exstinguit.

Ischuria paralytica prae ceteris speciebus homines aetate provectiores adgreditur, nec non eos, qui libidinibus adque excessibus exhausti maturam decrepiditatem subierunt. Viros multo frequentius tentari, quam mulieres, satis notum est.

Praeterea momentis aetiologicis adnumerantur: vita sedentaria, lucubrationes, crebrior ac diuturnior urinae retentio, ad quam necessitate aliquis compellitur; porro laesiones regionis lumbaris aut sacralis, e. gr. plagae, vulnera, lapsus, generatim injuriae, quae inferiori medullae spinalis parti inferuntur, sive mechanica sive organica sive dynamica causa (febres nervosae) eas intulerint. Ignorare non oportet, viros lue syphilitica aut gonorrhoeis saepius affectos in hanc ischuriam incidere; certe tamen derimi non potest,

utrum causa in excessibus, quos commiserunt, an in ipsa syphilide collocanda sit.

Paralytica ischuria multo pejorem, quam spastica, prognosin exhibet, imo, quamvis minus periculi solet minitari, quam ischuria inflammatoria, tamen difficilior fere est sanatu, nisi singularia momenta curationi faveant. In casibus concretis si praedictionem constitui necesse est, imprimis morbi gradum, diuturnitatem et genesin intueamur oportet; exigua enim sanationis spes affulget, si aegrotus senectute et marasmo confectus, si excessibus morbisve praegressis exhaustus est, si causae ischuriae paralyticae vel in medullae spinalis morbo, vel in organicis viscerum mutationibus cernuntur.

Medici ischuriam paralyticam curaturi id moliantur oportet, ut fractam aut exstinctam fibrarum vesicae muscularium contractionem restituant. Quum autem vesicae oppletio impediat, quominus illi scopo satisfiat, quum continua vesicae expansio magis magisque fibrarum contractilitatem infringat, urinae collectae evacuatio reliquae curationi praemittenda est. Quem ad finem consequendum catheter in vesicam inseratur, cujus applicatio plerumque nullis premitur difficultatibus, quare aeger brevi tempore artem, instrumentum illud applicandi, addiscere consuevit. Catheterismus tam saepe repetatur, ut urinae major portio in vesica colligi nequeat, i. e. aliquoties singulis diebus. Nonnulli catheterem elasticum in vesica relinqui jubent debitoque tempore purgari, aut altero permutari, cujus finem obturaculo munitum ternis vel quaternis horis aperiendum esse dicunt. Quodsi, continuato catheteris usu, mingendi desiderium superveniat, statim ei satisfacere oportet, quippe quod optimi ominis sit, si non intret, instrumentum porro etiam, saepe ad mortem usque, administrandum est. — Quibus provisis, quanam ratione paralysi vesicae me-

dendum sit, interrogatur; hoc enim opus, hic labor est. Medicamentorum hunc ad finem commendatorum praecipua afferam. Embrocationes frigidas ad regionem sacram, vesicalem, perinaealem applicatas laudatu dignas existimo, minus autem frigida epithemata et frigidas lotiones illarum regionum, quibus multi recentiorum utuntur; enemata etiam frigida parum salutifera mihi videntur. Ambiguum censeo effectum remediorum internorum, quibus paralyses impugnari solent, ut vero delectum habeamus, ea praeferre debemus reliquis, quae vim excitantem singularem in systematis uropoëtici organa exserunt et quorum in numero cantharides et oleum terebinthinae principiem locum tenent. De cantharidibus supra jam disserui, oleum terebinthinae rectificatum optime linctus forma adhibetur, nempe olei terebinth. drachm. 1—2, mellis depurati unc. II, quater per diem cochlear minus sumatur. Similem effectum, etsi minus intensum, sabina praestat, imprimis oleum sabinae aethereum, porro oleum juniperi aethereum; utrumque oleum vel elaeosacchari forma, vel guttarum, cum spiritu aetheris nitrosi et liquore ammoniaci succinici, exhibetur. Externe praeter frigus a multis adhibentur lotiones spirituosae et aethereae perinaei, regionis sacrae et pubis, infrictiones linimentorum et unguentorum irritantium electricitas et galvanismus, balnea animalia et aromatica, ulcera artificialia, emplastris vesicatoriis effecta.

Accedente processu inflammatorio, cujus causa in vesicae oppletione nimiaque extensione cernitur, ea antiphlogosis administretur, quam aegrotantis vires sustinent, praeter eam vero temperantia et demulcentia remedia imperentur.

Superest denique, ut de ischuria mechanica et organica (i. e. causis mechanicis vel organicis inducta) disseramus. Causae mechanicae et organicae huc pertinentes sunt; corpora collum vesicae aut urethram

obsidentia, ut calculi, sanguinis coagula, corpora foris illata, ut cereolorum particulae, porro carunculae et excrescentiae polyposae; pressio aut foris aut per causas internas, ut uterum gravidum, dislocatum, per viscera degenerata etc. vesicae illata; morbi prostatae stricturae urethrae.

Quodsi calculus mechanicum excretionis urinae impedimentum praebet, id quod partim signis lithiasin indicantibus; partim exploratione cognoscitur, primum irritationi occurrere, deinde id agere debemus, ut calculus aut idonea aegroti collocatione, aut adhibito cathetere ab orificio vesicae interno vel externo repellatur. Catheteris loco nonnulli, ut Schreger, aquae injectiones validiores per urethram, cum perinaei frictionibus et quassationibus conjunctas, administrari jubent. Si calculi aliaque peregrima corpora urethrae ipsi inhaerent, eliminatio eorum tentetur, antea autem irritatio antiphlogisticis vel antispasmodicis remediis demulceatur. Irritis omnibus corpus extrahendi conatibus, urethra foris incidenda, corpus alienum per vulnus eliminandum et hoc ipsum, inducto per urethram cathetere, prima intentione sanandum est. Sanguinis coagula et grumuli mucosi facilius cathetere auferuntur, aut aquae tepidae injectionibus diluuntur. In casibus etiam, quibus uterus gravidus, dislocatus, aut tumor in ventre exortus ischuriam effecit, urina retenta, si mutatus corporis situs non sufficit, catheteris ope emittitur, donec vel graviditas praeteriit, vel causa efficiens alia cessit. Prostatae morbi, ischuriam efficientes, ut inflammationes, abscessus, indurationes, varicositates, magnas saepe difficultates medentibus afferunt malamque prognosin constitui jubent. Ischuria ab inflammatione prostatae pendens non aliter ac inflammatoria, de qua locuti jam sumus, curatur; sin autem antiphlogosis per totum ambitum adhibita urinae excretionem haud restituit, dolore partium

affectarum aliquantum diminuto, cauta manu catheteris applicatio tentetur; qui si induci nequit et ischuria perdurat, summum periculum vesicae punctionem, supra symphisin ossium pubis instituendam, administrari jubet. Abscessu prostatitidem secuto; tollendae ischuriae maxime ea respondent adminicula, quae puris evacuationem efficiunt, sin retentio urinae nihilosecius persistit, catheteris applicatio omnibus viribus experienda, simul autem providentia adhibenda est, ne viae efficiantur alienae. Ad prohibendas urinae infiltrationes, rupto abscessu catheter elasticus reliquatur in vesica, donec lotium non amplius pure commixtum appareat.

Varicositates prostatae, haemorrhoidariis hominibus praecipue supervenientes, repetitam hirudinum applicationem ad perinaeum, epithematum et enematum frigidorum usum expostulat, quibus interna medicamenta, plethorae abdominali stagnationibusque haemorrboidalibus consentanea, adjunguntur. Etiamsi haec medendi ratio non ischuriam semper tollit, tamen catheteris inductionem, qua saepe opus est, sublevat. Retentio catheteris in vesicam inducti his in casibus eatenus salutifera esse potest, quatenus vasa expansa instrumento comprimuntur eorumque contractio sublevatur. Prostatae induratio, magnas aegrotis molestias, summos medicis labores pariens, fere semper ischuriam incompletam secum fert, quae aliis remediis frustra adhibitis, catheterismum expostulat. Medicamina, quibus ipsam indurationem impugnamus, generatim resolventia sunt, tam interne quam externe adhibenda. Interne mercurialia, jodum, decoctum Zittmanni, largae ammoniaci hydrochlorati doses, externe unguentum jodatum, vel solum, vel cum unguento mercuriali, emplastrum conii, similia administrantur. Quod ad magnas ammoniaci hydrochlorati doses attinet, in caritatis nosocomio Berolinensi aliquoties cum secessu adhibitae sunt. Catheteris applicatio pariter ac

in prostatitide difficultatibus saepe conjuncta est et non modo providentiam, sed etiam debitam dexteritatem flagitat. Desperatis in casibus paracentesis vesicae ultimum exhibet refugium, ne sequelis ischuriae aegrotus intereat.

Stricturae urethrae haud raro; postquam longius per tempus mictum difficilem, imo stranguriam pepererunt, perfectam urinae retentionem inducunt, praecipue si aegroti iis laborantes novis injuriis, ut abusui potuum irritantium aut calefacientium, gravioribus corporis contentionibus, perfrigeriis, excessibus in Venere, sese submittunt. Si una alterave harum causarum antecessit, primum topica irritatio aptis remediis, aut antiphlogisticis aut antispasmodicis, aut corporis quiete demulceatur, quo facto interdum urinae excretio, quoad per stricturam fieri potest, restituitur. Quod si non evenit, catheteris applicatio suspensa manu tentanda est, qua etiam irrita, nihil superest, ut vel cereoli, volumine gradatim adaucto, in urethram coarctatam immittantur, donec strictura satis dilatata sit, vel cauterisationes a Lallemand, Ducamp, aliis commendatae in usum vocentur. De cauterisationum illarum commodis et incommodis ita dissentiunt chirurgi praestantissimi, ut equidem certum judicium de iis ferre nequeam. Aliae etiam urinae retentionem tollendi rationes chirurgicae, ut violentae fluidorum injectiones per urethram, stricturae perforatio ope catheteris argenti acuminati, variis de causis vituperandae sunt iisque omnibus, si qua necessitas urinam evacuandi exstat, punctio vesicae praeponenda est, si spes nempe affulget, fore ut strictura aptioribus medendi methodis cedat.

Quid agendum sit, si urethrae inflammatio, spasmus, corpora aliena lumen ejus occludentia causam ischuriae contineant, ex iis intelligitur, quae de ischuria vesicali, causis organicis aut mechanicis

exorta, supra retulimus, quare pauca tantum adspergere liceat. Rarefactiones tunicae mucosae urethrae, chronicas blennorrhoeas saepe excipientes, tempestate humido-frigida interdum tanta capiunt incrementa, ut lotii excretionem prorsus impediant et, si alia remedia nihil opitulantur, catheterismum requirant. Atresiae et aliae deformitates urethrae, postquam pharmaceuticis chirurgicisque medicaminibus frustra impugnatae sunt et ne catheterismo quidem lotium evacuari patiuntur, operationem idoneam administrari jubent. Simili modo phimosis et paraphimosis, si ischuriae urethralis causam sistunt, eam curationem chirurgicam et operativam expostulant, quae earum naturae respondet. Ceterum omnia ad individuam casus concreti cujusque indolem esse conformanda, neminem ignorare existimo.

VITA.

Natus sum Fridericus Gustavus Carolus Stache die IV. Decemb. anni MDCCCXXV, patre Friderico, quem mortuum semper semperque lugebo, et matre Friderica, e gente Schultze. Parthenopolis municipium ducatus, Gross - Ottersleben, mihi patria est, fides evangelica. Gymnasium per decem annos frequentavi. Paschali tempore anni MDCCCXLVIII testimonium maturitatis nactus, Halas petii ibique a Prorectore Magnifico Ill. Volkmann in civium academicorum numerum sum receptus. Docuerunt me:

Ill. de Schlechtendahl: Botanicen. Ill. Burmeister: Zoologiam. Ill. Steinberg: Chemiam et anorganicam et organicam. Ill. Germar: Mineralogiam. Ill. Schweigger: Physicen et experimentalem. Ill. Erdmann: Logicen. Ill. Schaller: Psychologiam. Ill. D'Alton: Anatomiam generalem et comparatam et artem cadaverum rite dissecandorum.

Ill. Meckel: Anatomiam pathologicam, Encyclopaediam et Methodologiam. Ill. Volkmann: Physiologiam. Beat. Friedlaender: Materiam medicam, Artem formulas medicaminum rite concinnandi, historiam medicinae. Ill. Krahmer: Pathologiam generalem. Ill. Krukenberg: Pathologiam et Therapiam specialem.

Ill. Blasius: Chirurgiam generalem et specialem, fracturas, luxationes.

Ill. Hohl: Artem obstetriciam.

Duces mihi erant:

Ill. Krukenberg: in Clinico medico. Ill. Blasius: in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico et in operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum exercitationibus in cadavera institutis. Ill. Hohl: in Clinico obstetricio.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentamine philosophico nec non examine rigoroso rite absolutis et hac dissertatione una cum thesibus publice defensis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

I.

In curanda pneumonia venaesectionem haud omnino esse repudiandam.

II.

Placentam foetui respirationis organon haud esse.

III.

Urethrotomiam in stricturis urethrae curandis ceteris omnibus methodis esse anteponendam.